

DISSERTATIO THEOLOGICA,  
DOCTRINAM CHRISTI  
DE  
MORALI HOMINIS  
AD VIRTUTEM HABITU,  
BREVITER DELINEATURA,

---

Quam

EX SPECIALI S:Æ CÆS. MAJESTATIS VENIA,

CONS. VENERANDA FAC. THEOL. ABOËNSI,

*Publico Examine modeste offerunt*

**HENRICUS SNELLMAN,**

*Pæd. Adj. Ord. & Sem. Pæd. Lector,*

ET

**AXELIUS GABR. SJÓSTRÓM,**

*Stip. Publ. Tavast.*

In Audit. Theol. die 31 Octobr. 1812.

h. a. m. f.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

7.

UNIVERSITY OF TORONTO

DOCTORAL DEGREE

IN THE FACULTY OF ARTS

AND IN THE FACULTY OF EDUCATION

BY THE UNIVERSITY OF TORONTO

1968

BY THE UNIVERSITY OF TORONTO

BEARINGS

UNIVERSITY OF TORONTO

1968

UNIVERSITY OF TORONTO



**U**t Religio quam profitemur sanctissima notitiam  
Supremi Numinis, quæ finit e nostro genere  
contingere possit entibus, tradit plenissimam, ita eo  
etiam divina tendit opera, ut dignam, ex hac scientia  
oriundam, animis humanis instillet virtutem. In no-  
bili autem hocce persequendo educationis negotio,  
necesse utique est, ut una ex parte gravem cui suc-  
cumbunt homines corruptelam ingenue & evidenter  
commonstrando, eos e langvore suo excitet morali,  
ex altera vero, ne vel animum despondeant, vel iis  
quæ solatia ferunt ad inertiam abutantur veritatibus,  
egregias, quibus ornantur, ad virtutem emer-  
gendi facultates, veramque eas adhibendi rationem  
clare ostendat. Nisi enim pravitatem suam agnoscant  
homines, quomodo emendationem exoptabunt? & nisi  
virium suarum sibi conscii sint moralium, quomodo  
onerosa quibus detinentur corruptionis vincula fran-  
gent, abjicient?

Huic jam utrique naturæ nostræ moralis indi-  
gentiæ, cœlitus qui datus est nobis fidei Præco &  
Anctor optime satisfecit. **Q**ui enim debita, qua par  
est,

**A**

est,

est, attentione salutiferam cui adhæremus perpenderit Christi Religionem, — ne eos loquar, qui vim ipsius in vita corrigenda experti sunt divinam, — sine ullo videbit negotio, illam, non solum miseriam hominis moralem aptis adeo & vividis depingere coloribus, ut qui mente non sit ferrea, fidam sui animadvertat effigiem, verum ad pretium etiam humanum plenis venerabundisque sentiendum oculis quemque adducere melioris consilii capacem. In his nimirum exponendis ita versatur capitibus, ut neque acerbam de perditâ prorsus dignitate humana incutiat persuasivonem, quæ vel hostes Religionis, vel otiosos gratiæ supernaturalis celebratores haud raro peperit, neque perniciosam alat superbiam, ad quam naturali quâdam pronitate, nimis in pretio suo statuendo sibi vindicantes, facile prolabuntur homines; sed utrumque ea luce, sapientia & veritate proponat momentum, ut ipsa quam movet infirmitatis conscientia ad præstantiam hominis cogitandam recta ducat, hæc vero, quantum culpa nostra a fine distemus proposito fortiter nos commoneat; utraqve igitur ad ferium ferat recti studium, diviis, quæ Religione continentur, virtutis præfidiis validissime suffultum. — Quæ cum ita sint, dolemus sane, infinitos, ex fluctuante doctrinam hanc vel maxime practicam atque popularem interpretandi ratione, incautoque haud raro errores inde obortos debellandi studio, ab ævo inde Augustini ad nostra usque tempora summo animorum motu ac fervore propagatos, de morali hominis ad virtutem habitu

bitu prodire potuisse controversiarum turbines: quorum certe tristissimorum Ecclesiae schismatum, ne minimam quidem in ipsa Religione Christi bene intellecta, occasionem inveniet, qui, prono ad veritatem pectore, eam rimatus fuerit. — Nos autem gravissimo huic Doctrinae salutaris articulo, non ut novi quid proferamus, aut causas dirimendas nobis arguemus implicitissimas, sed quo fidem nostram modeste profiteamur, diutius paullo immoraturi, non est quod de mitiori Lectoris Benevoli multum dubitemus censura.

---

Cohæret quæstio de præsentis nostræ indole morali cum doctrina de statu primorum hominum integro sic dicto, & lapsu eorum, hunc subsequente, vexatissima; sive enim infirmitatem qua premimur moralem, sive insitam nobis rectum videndi & exercendi facultatem respexeris, simulque ad causas & origines disensionum huc pertinentium mente & cogitatione adscenderis, controversias hujus generis præcipuas hinc, quasi e fonte suo primo, emanasse, sine multa videbis opera. Cum autem divina & integerrima Christi longe potius acquiescendum sit auctoritate, quam enatis e discordante hominum iudicio fallacibus haud raro placitis, quid Ille de dicta senserit integritate, & contracta per lapsum corruptione, vidisse juvabit.

Huc itaque delati, miramur sane tam multos in capite hocce persequendo Christi, cui nomina dederunt, non pressisse vestigia, quin potius in alienis a re enodandis exspatiatos fuisse rationibus. Quippe quæstionem nostram; in adstruenda tamen perfectiori morum doctrina haud minimi habendam, parum adeo in sermonibus suis retractavit Christus, ut pleno inde, nobis quidem, fluere videatur alveo, illum, non ut captui sese accommodaret popularium suorum, sed propter interna quæ continet veritatis criteria a), ad Mosaicam de primæva hominum conditione provocasse traditionem. Quid autem habet narratio Mosis, & quæ huic innititur Veteris Testamenti de-

ho-

---

a) Hanc Historiæ Mosaicæ attingentes auctoritatem id tamen urgere nolumus, nil omnino poëtice dictum, aut ad ingenii rationem canæ antiquitatis accommodatum vetustissima hæcce redolere monumenta. Dari quidem hæc omnia & possunt & debent; sed firma tamen manet res ipsa narrata, præsertim cum & in foro rationis examinata, uberissima sese commendat veritatis specie. — *”Diese Urkunden enthalten Philosophische Ideen, woraus aber gar nicht folgt, das Alles bloß deswegen erzählt sei, um jene Ideen darzustellen. Es gab damals gar keine Philosophie ohne Geschichte; jene war bloß historische Erklärung vorhandener Thatfachen. Jene Ideen enthalten viel Wahrheit, Manches, was wir uns auch noch jetzt nicht vernünftiger denken könnten. — Die Urkunden enthalten, auch ohne dass man sie hineinträgt, Verschiedenes, was mit den vernünftigsten Muthmassungen übereinstimmt. STÄUDLIN Grundr. d. Tugend. und Rel. Lehre 2 Th. 2:te Hälfte, p. 492, 493.*

homine recens creato disciplina? Nihil sane quod sanctitati & justitiæ Summi Numinis, quod naturæ humanæ, aut vero Christianæ Religionis non tantum non repugnet genio, verum optimo etiam cum his omnibus non conveniat concentu. Docet nempe Deum decoris instar operum suorum formasse hominem, ceteris qui dominando terræ incolis, ad dignitatem hac longe superiorem ipse adspiraret. In quem finem duplici eum instruxit natura, altera terrena, sublimiori altera & scintillulæ instar essentiæ divinæ (Gen. 2: 7.) *b*); quibus quidem conjunctis tantum prævaluit homo, ut imaginem Creatoris retulisse prædicetur, sed e posteriori tamen excellentia ipsius imprimis eluxisse haud dubie indicatur. Mens enim a Deo inspirata, præstantissimisque, quæ in bruta non cadunt animalia, ornata facultatibus, in illa originarie constituta fuit innocentia & integritate incorrupta, ut sine adhærentibus pravis cupiditatibus,

mo-

- b*) Præstantiam animæ humanæ hoc commate innui valde probabile nobis videtur; semper enim id in narratione hæcæ singulare manet, quod origo animæ, a corporis tam diversa, expressis addatur verbis, & quidem Deo ἀμεσως tribuatur, quod in ceteris non fit animantibus. — *”Was den Menschen belebt, ist ein von Gott eingeblasener Othem, etwas Göttliches, was nicht in die Augen fällt; -- ohne diesen göttlichen Othem oder Geist ist er die todte Gestalt von einem Menschen.”* STÄUDLIN l. c. p. 499. — Cfr. *Eccl. 12: 7*, quo loco, nostrum sine dubio spectante, anima in morte redire dicitur *אֶל-הָאֱלֹהִים אֲשֶׁר נָתַתָּהּ*

molestisqve sensuum impedimentis, usum rationis an-  
tevertentibus, in amplissima quæ homini contigit vi-  
res suas perficiendi opportunitate, & vigente pulcher-  
rima rationem inter atqve sensualitatem harmonia,  
ad majorem semper, facili & felici cum successu,  
tam scientia quam virtute, tendere posset cum Deo  
similitudinem c). — Primitivam vero hanc dignitatem  
suam

---

c) In describenda quidem *Imagine Divina* neque animi si-  
gillatim instituitur commemoratio, neque integra ejus qua-  
lis fuerit monetur constitutio. Illud tamen quod attinet,  
clarum esse putamus, ipsum quod indicatur *in omnia im-  
perium*, sine egregiis quibus mens humana eminet viribus,  
vel Auctoris ex sententia, locum habere non tantum non  
potuisse, verum in his etiam præsertim positum fuisse:  
ut ideam quoque dominium his, in Libro Sapientiae, adum-  
bratum legimus verbis: Θεε πατερων και κυριε τε ελε-  
εσ σε, ο ποιησας τα παντα εν λογω σε, και τη σοφια σε  
κατεσκευασας ανθρωπον, ινα δεσποζη των υπο σε γενομενων  
κτισματων, και διεπη τον κοσμον εν οσιοτητι και δικαιο-  
συνη, και εν ενδυτητι ψυχης κρισιν κρινη κ. τ. λ. Cap. 9:  
1 - 3. (Cfr. MORI *Comment. Tom. I.* p. 427, 428, &  
STÄUDL, l. c. p. 494 f.) Accedit tam quod præcepta ho-  
mini adhuc integro data sint moralia (Gen. 2, 15 - 17),  
quam quod imaginem Dei vitio morali turbatam ex ea-  
dem sciamus creationis Historia. — Notionem vero, quam  
paucis delineavimus, ipsius animi integritatis, e narratio-  
ne ipsa propius considerata fluere putamus. Cui non ob-  
stat iudicio Cap. I. v. 31; dicit nempe Moses, Deum om-  
nia quæ fecerat *valde bona invenisse*, i. e. talia, ut fini  
suo optime convenirent. Neque magis verba Eccl. 7,  
v. 30 obvia: עשה האלהים את-האדם ישר nostræ



suam atque felicitatem diu intemeratam non retinuit homo. Sub usu nempe rerum in sensus incurrentium & naturam ejus sensualem, fruendo aptam, callide irritantium, tantum, renitente quamvis nobiliori sua indole (Gen. 3: 2, 3.), valere passus est sensualitatis illecebras, ut abusu libertatis turpissimo, mandatum violaret divinum (v. 6.) Sic autem nativo in homine sublato æquilibrium, quod, summo Creatoris beneficio, naturam ejus celsiorem contra factos tempestive miniret sensuum affectuumque impetus, illa sensim oriebatur virium humanarum perturbatio & pugna quasi mutua, ut primum plura comitarentur vitium; quo ipso primævam Dei in homine imaginem vitiatam, & inditam Protoplastis ad virtutem pertingendi facilitatem præpeditam docemur. d).

No.

---

refragari putamus sententiæ; hæc enim nihil aliud significare videntur, quam hominem *innocentem, incorruptum*, & quidem ita ut *rectus esse possit* a Deo creatum esse. Cfr. M. MENDELSON, qui (in opere suo: *Der Prediger Salomo mit einer kurzen und zureichenden Erkl. nach d. Wortverstand, zum Nutzen der Studierenden, von dem Verf. d. Phädon*, p. 96) ita hunc locum explicat: "Gott hat den Menschen rechtschaffen gemacht auf Erden. Denn alle in das Herz eingepflanzte Kräfte und Neigungen sind ihm zu einem guten und rechten Endzweck gegeben worden. &c."

d) Communem posteris corruptelam non quidem e primo Protoplastorum peccato deducit Moses, sed facile tamen ejus

Notionem vero hancce integritatis humani generis originariæ simplicissimam, & nexam illi de mali moralis fonte ac origine doctrinam maxime perspicuam, in proponenda disciplina sua morali, Servatorem nostrum sanctissimum haud obscura supposuisse mentis approbatione, eo utiqve certius nobis persuademus, cum divæ, qva orbem beare voluit Religioni, optime utraqve consentiret, & ad sensus, qvos in Schola sua perficiendus quivis induere debebat, excitandos, plurimum certe faceret. e)

Sicut enim hunc in finem opus suum in terris peragendum salutare susceperat, ut corruptos ad meliorem frugem reduceret homines, ita communem gentis humanæ pravitatem, cum directo sæpe sermone, tum absolutam emendationis indefinenter urgendo

ne-

rei notio conjungi potuit tam cum ipsa de lapsu narratione, & subsequente illam Historie momenti, quam cum sua cujusqve experientia. Ceterum doctrinam hancce, vere propositam, auctoritate non carere idonea, breviter monendi occasionem infra habebimus.

- e) Apostolos autem, qui Doctoris sui divini fideliter inhaerunt vestigiis, eandem hanc, ut inter saniores omnes jam constat S. Codicis interpretes, secutos fuisse rationem, interdum quamvis, pro dispari loquendi modo & controversiis jam tum in ecclesia gliscentibus, quædam, imperitioribus præsertim adessee videatur repugnancia, præsentis nostri ostendere non est instituti.

necessitatem, assiduus commemorat. Docet quippe universali hac imperfectione correptum esse quemvis ex homine natum hominem (Joh. 3, 6); neminem itaque verum regni Messiani fieri posse membrum, felicitatisque ibi oblatæ participem, nisi immutationem subierit animi moralem (v. 3). Hinc etiam poenitentiae notionem cum novæ salutis annuntiatione semper conjungit (Matth. 4: 17. Marc. 1: 15), quod idem, divina ipsius missi auctoritate, observarunt Apostoli (Marc. 6: 12.): hinc ut infirmitatis suæ & indigentiae moralis sincere memores, humiliter de se sentiant, & delicta sua quotidie deprecantur homines commonet (Matth. 5: 3. 18: 3, 4. Luc. 16: 15. 17: 10. 18: 9-14. Matth. 6: 12). Quid? quod primum muneris sibi demandati partim in eo ponit officium, ut *ἀμαρτωλὸς εἰς μετανοίαν* vocet (Matth. 9: 13), partim ut vitam suam *λύτρον* det *ἀντι πολλῶν* (Matth. 20: 28. Marc. 10: 45). — Ut autem, juxta adumbratam supra Vet. Testamenti doctrinam, prima Protoplastorum culpa sensualem habuit ortum, ita Christus quoque corruptelam hanc atque infirmitatem ex eadem derivare solet scaturigine; *τῆ* enim *σαρκί* (Matth. 26: 41. Marc. 14: 38. Cfr. loc. nup. cit. Joh. 3: 6), *ταῖς μερημναῖς τῆ ἀιώνος τῆς τῆς, τῆ ἀπάτη τῆς πλῆθους, & ταῖς περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαις* (Marc. 4: 19. Cfr. Matth. 13: 22. Luc. 8: 14.) causam & originem mali, quo premimur, moralis tribuit; quam rem præterea, cum variis sub ipso docendi negotio oblati proposuit occasionibus (Matth. 19: 21 - 24.

B

Luc,

Luc. 10: 41, 42.), tum innumeris fere inculcavit parabolis. (Cfr. e. gr. Matth. 13: 3-8. Luc. 14: 16-25. 16: 19-31).

Quid vero? Num Christus qui diserte toties sapientiam non tantum, sed summum etiam, omnia complectentem, Patris sui testatur amorem atque benignitatem, datam nobis ab Eodem naturam nostram Physicam, ceu originitus pravam, ad malum absoluta quadam ferentem necessitate, fide sua prædicat? Minime. Sed qui idem vitæ jucunditates non illicitas esse sanctissimo suo comprobavit exemplo (Matth. 11: 19), qui porro oblectamenta sensuaria hominibus non tantum non denegavit, sed paravit etiam (Joh. 2: 7, 8), qui denique sensibus nostris externis & delectationibus, quas infinitas ditissima continet rerum natura, ad fructuosiore Dei notitiam atque cultum nos uti docuit (Matth. 6: 26-30), quid hac doctrina, vita sua & sermonibus passim illustrata, proprie innuat, pio nostro cogitatus videre reliquit iudicio.

In præsentī itaque statu disciplinæ atque tirocinii, quo summo nos collocare placuit Numini, tali quodam cum rebus extra nosmet positis egemus commercio, quo non tantum occasiones legem conscientiæ latam observandi, sed eandem quoque deferendi illecebræ, boni cujusdam specie irritantes, offerantur; quo igitur vim suam explicandi opportunitatem habeat

libeat sensus animo alte inditus moralis. Nexum vero huic necessarium inter hominem atque mundum physicum constituit sensualitas; quæ igitur, agendi campum moralitati nostræ aperiens, libertatem non tantum non tollit humanam, sed summum etiam celebrandum exhibet beneficium divinum. — Sic autem lege morali cum præceptis suis, virtutem aperte jubentibus, ab altera parte rationi proposita, ab altera vero voluptate sensuum, huic facile contraria, sensualitatem irritante, in conditione, qua inter utramque constituti sumus quasi media, arbitrio nostro, veram has inter prætervecti conjunctionem, ita abuti facile possumus, ut illam hujus subjicientes imperio, physicas, quæ animum tentare solent, cupidines cum legis sequamur dispendio. Quale vero, hujus scilicet naturæ & indolis, primum protoplastorum fuisse vidimus vitium, talem perversitatis totius generis humani fontem esse atque originem longe lateque omnis ævi testatur experientia. Primam igitur & præcipuam miserandæ hujus imperfectionis occasionem cum natura nostra sensualis præbeat; cum hæc porro, quo sæpius rationi dominetur, eo etiam intemperantiori ingravescat vehementia, & per corruptam haud raro physicam hominis constitutionem, auctamque inde internam tentationibus sensuum resistendi infirmitatem, vim suam, gratam parentibus, roboratam in liberis, ad feros usque transferat nepotes; sedem pravitatis humanæ primariam in sensualitate sitam, ipsamque hanc labem hereditate quadam a majoribus traditam

haud immerito dixeris f). At neque sic causam peccati, necessario efficientem, per se continet sensualitas humana, sed ejus tantum ansam & quasi materiem: — corruptela vero ipsa in statu illo animi turbato & ἀτακτω, in debilitate illa mentis communi cernitur, qua ratio & quam voce divina sancit lex moralis, turpi cupiditatum & affectuum sensualium ita parent auctoritati & dominio, ut non solum tarditas in renitendo a primis inde incunabulis existat, verum quam primum etiam libertatis suæ conscius fiat homo, parata quodam ad vetitum amplectendum feratur pronitate g).

Ex

---

f) "Da der Körper eines Menschen nach seiner individuellen Beschaffenheit von den Eltern abhängt, die ihm das Daseyn gegeben haben; so wird das natürliche Verderben überhaupt durch Zeugung fortgepflanzt werden, und die besondere Modifikation, die es bey einzelnen Menschen hat, durch die Umstände der Abstammung erhalten können." REINHARD System. d. Christl. Moral, I B. p. 383. — Cfr. DOEDERLEIN Institut. Theologi Christiani P. P. pagg. 83, 84: item STORR Doctrinae Christianae P. Theoret. pag. 174, & HENKE Lineamenta Instit. Fid. Christ. p. 124. Hoc etiam sensu Paulus, Rom. 5, 12-21, e peccato Adami vitiositatem humanam derivare videtur.

g) "Man sieht aus dieser Erklärung das hiemit nicht etwa die Sinnlichkeit überhaupt für das Natürliche Verderben erklärt

Ex hac autem mentis imbecillitate, hac ad physicis immoderatus indulgendum desiderii propensione, hominibus tam propria, tam familiari, ut naturalis dici possit, singula, in quæ docendo Christus invehitur, tanquam e fonte suo profiliunt vitia. Hinc frequens illa tarditas & segnitias in mente scientiis illustranda necessariis (Matth. 16: 1-3. Luc. 11: 31, 32, 52), & orta inde veræ salutis ignorantia (Luc. 19: 42): hinc perturbatio illa animi & libertatis, quæ, meliora quamvis videant homines, aut videre saltem possint, (Marc. 7: 8, 13. Luc. 12: 47. Joh. 9: 41), ad deteriora tamen, securitatem v. c. & incuriam, violentiam, voluptatem vitæ dissolutam (Luc. 12: 45), hypocrisim (Marc. 7: 6), & quæ sunt cetera, appetitu ducantur & opere: hinc nifus ille in gratis quærendis animi sensibus perversus, quo, nobilioribus vitæ deliciis degustandis destinati (cfr. Luc. 12: 24, 27, 28),

cras-

*wird; an sich betrachtet sind unsre sinnlichen Triebe nichts weniger als verwerflich; bloß der Mangel an Subordination dieser Triebe macht das Verderben aus; es bestehet in dem aufgehobenen richtigen Verhältniß der beyden Theile unsers Wesens."* REINHARD I. c. p. 383. Similiter fere de re judicat KANT (*Die Religion innerh. d. Grenzen d. bloßen Vernunft* p. 34): *Also muß der Unterschied, ob der Mensch gut oder böse sey, nicht in dem Unterschiede der Triebfedern, die er in seine Maxims aufnimmt, (nicht in dieser ihrer Materie) sondern in der Unterordnung (der Form derselben) liegen: welche von beiden er zur Bedingung der andern macht."* Cfr. STÄUBLIN I. c. I Th. p. 261.

crasfiora tamen & cum brutis fere animantibus communia haud raro fequuntur bona (Luc. 12: 19): hinc demum contumax illa in vitiofitate perfeverantia, qua, ejus irretiti lenociniis, totos, conscientiae suffocato dictamine, cupiditatum nonnunquam feſe dedunt fervitio (Cfr. Matth. 12: 43-45). Neque huic repugnat rationi, quod doctrina Chriſti ἐκ τῆς καρδίας, ἐκ τῆς περιſπυματος τῆς καρδίας vitia interdum deducere ſolet humana (Matth. 15: 19. 12: 34), his nempe ſignificans dicendi formulis, adventitiam illam animi affectionem, qua melioris obliſi, ad ſenſuum ferimur obſequentiam, veram vitiofitatis humanæ eſſe matrem *h*)

Quæ ſi vere diſputata fuerint, ipſa corruptionis humanæ notio ſanior, e doctrina & ſermonibus Chriſti facile eruenda, naturam noſtram, etſi turbatam, non ita tamen penitus depravatam, non ita omni ad virtutem vi orbatam eſſe docet, ac injuſte conqueſuntur, qui vitioſitatem, aut ipſam hominis conſtituere urgent ſubſtantiam; aut ita nobis innatam contendunt, ut nativa quadaſm neceſſitate a bono omni prorfus

---

*h*) Conſtat vocabulum τῆς καρδίας, ſignificatione ad mentem translata, ex uſu vocis Hebr.  $\text{לֵב}$ , innuere non tantum animum totum cum nativis omnibus ſuis viribus, (interdum quoque ſingulam quandaſm animi facultatem), ſed aſfectus etjam, deſideria atque cupiditates (ut e. gr. Matth. 6: 21); quem ſenſum his quoque locis valere & ipſa rei natura & contextus docet.



flus averse simus i). — Omnes quidem, ut supra monuimus, inhærente quâdam pronitate ad sensibus parandum mature propendemus, omnes molestum circumferimus sensualitatis jugum, at omnes tamen nobilioris nostræ nobis conscii sumus naturæ. Peccamus varie, non ex absoluta quâdam bene agendi impossibilitate, aut rata legem violandi malitia, — (neminem enim, ne scelestissimum quidem, ita corruptum fingere possumus, ut nullus honesti studio supersit locus, vel ut ex ipso recti contemptu voluptatem capiat) — sed ex levitate quâdam animi sensuali, quæ, quamvis egregias quibus excellimus animi dotes multifariam deturpet, eas tamen, donec humana induimur natura, delere non valet k): quamdiu enim miseriam generis nostri moralem cernimus, aut cernere saltem possumus, tamdiu rationis & conscientie-

---

i) *Dasß der Mensch von Natur zum Guten ganz unfähig sei, ist eine dem Geiste des Christenthums ganz entgegengesetzte Lehre, wiewohl es aus dem Buchstaben der Bibel herausgebracht werden kann. Das Christenthum statuirt aber Anlagen des Menschen zum Guten.* STÄUDLIN I, c. p. 270.

k) *”Die Bösartigkeit der menschlichen Natur ist also nicht sowohl Bosheit, wenn man dieses Wort in strenger Bedeutung nimmt, nämlich als eine Gesinnung das Böse als Böses zur Triebfeder in seine Maxime aufzunehmen; sondern vielmehr Verkehrtheit des Herzens, welches nun, der Folge wegen, auch ein böses Herz heißt, zu nennen.”* KANT I, c. p. 35 f. — Cfr. STÄUDLIN I, c. p. 261.

scientiæ fruimur beneficio, tamdiu leges morales nobis latas agnoscimus, & ipsa quæ inde habetur obligatio necessariam ad præcepta earum, quamvis magna etiam cum pugna & difficultate, mentem atque mores componendi secum fert possibilitatem *l*). Possunt itaque facultates nostræ celsiores, jura sua sensualitati cedentes sanctissima, distorqveri, confundi, & variis implicari cupiditatum fraudulentis, sed essentialiter tamen in turbato etiam remanent animo, vocem suam in ipso peccandi sæpe attollunt actu, & data resipiscendi occasione, auctoritatem suam resumentes, meliores sensim edere queunt fruges. — Proinde quoque non tantum antiquissima jam Veteris Testamenti monumenta sensum moralem in primis innocentiae superstitem fuisse peccatoribus (Gen. 3: 7, 8), Cainumque, scelus horrendum animo molientem, ut tentationi reluctaretur admonitum (Cap. 4: 7) docent; sed Christus etiam, divinus ille idemque sapientissimus moralitatis humanæ æstimator, actiones nostras (Matth. 16: 27. 25: 31-46. Luc. 12: 46. 19: 12-27), quin etiam cogitata mentis scelestia (Marc. 7: 21-23), & libidinosas Phantasie imagines (Matth. 5: 28), coram vindice nobis imputari indicat justissimo, & quidem pro gradu scientiæ nostræ, (Luc. 12: 47, 48), & auctoritate ac frequentia neglectarum sapiendi beneque agendi occasionum (Matth. 10: 15. 23: 37, 38. Joh.

---

*l*) Cfr. REINHARD 1, c. 4 B. pp. 24-31.

Joh. 15: 22): quæ utiqve, & similia multa, ferre non potuisset judicia, nisi quæ imputantur sponte evitari potuissent peccata *m*). De corruptela porro humana ita semper loquitur, ut ad eam debellandam serio homines compellat; quo fit ut ea ipsa Servatoris dicta, quæ miseræ moralis notionem ferunt, facultatem quoque moralem subeundi correctionem vel tacite vel expresse iis tribuat. Accedit, quod non modo summum hominis vel apud Deum sæpe commemoret pretium (Matth. 6: 26 sqq. Luc. 12: 6, 7, 24-30. 15: 4-32. Joh. 3: 16), sed suam quoque cuius, ante disturbatum erroribus atque vitiis felicem primum animi statum, nativam adjudicet innocentiam (Matth. 19: 14. Luc. 18, 16). *n*).

C

In

*m*) Die Zurechnung ist das Urtheil, durch welches man für den freyen Urheber eines gewissen Verhaltens erklärt wird. Sie setzt allezeit voraus, daß der, welchem etwas zugerechnet wird, auch im Stande gewesen wäre, anders zu handeln, und das Gegentheil von dem zu thun, was er gethan hat." REINHARD I. c. 1 B. p. 335.

*n*) Eadem fere in Pandectis V. T. haud semel commemoratur hominis præstantia. Sic, (locum Gen. 5: 1-3 ut omittamus, de cujus quippe vero Philologi disputant sensu: cfr. Doederlein *Instit. Theol. Christ. P. P. p. 578*) verba quibus post diluvium Noacho benedixit Deus, (cap. 9: 1-7) magnam utiqve innuunt dignitatem humanam, (Cfr. Ps. 8: 5-9. 115: 16). Occurrunt deinde loca alia haud pauca, quæ doctrinam de nativa hominum corru-

In concilianda autem hac doctrina cum locis de auxilio fidei & virtutis divino, multum, ut novimus, defudarunt tam Theologi Christiani, quam qui exegesein sacram tractarunt Philologi. De eo quidem facile omnes consentiunt, correctionem nostram atque virtutem, quatenus scilicet & vires nostras tam physicas quam morales, & oblatas quascunque easdem exercendi occasiones: Deo acceptas debemus, summo tribuendam esse rerum nostrarum Auctori & Moderatori: id etiam Christiani quivis ingenui uno mox confitentur ore, Parentem eundem hu-

---

ptione morali sensu rigidissimo sumendam non esse sva-  
deant; præterquam quod totus *Jobi* liber indubitato sit  
indicio virtutem maxime moralem vel his temporibus homi-  
ni non fuisse denegatam. Quod autem Deus Gen. 8: 21  
decrevisse dicitur, se non amplius hominis causa terram  
destructurum כִּי יֵצֵר לִבְהָאָדָם רָע מִנְעֻרָיו (cfr. cap.  
6: 5), id cum iis quæ supra diximus facile conjungi posse  
autumamus. — Similiter etiam Apostoli, qui frequen-  
tes tamen in corruptela hominum morali depingenda ver-  
santur, impresam hominibus imaginem divinam, ad amo-  
rem virtutis excitandum commemorant (Jac. 3: 9), since-  
rumque probitatis studium similitudinis Dei & Christi in-  
signiunt honore (1 Joh. 3: 7. 2 Pet. 1: 4.) Quid? quod  
ipse Paulus, cujus præsertim citare solent auctoritatem  
qui in pretio hominis repudiando nimia utuntur severi-  
tate, dictam haud raro innuat naturæ nostræ constitu-  
tionem moralem. Cfr. e. gr. Act. 14: 15. 17: 27, 28.  
Rom. 9: 11. Vide Nösfelt über den Werth der Moral, d.  
*Tugend und d. späten Besserung*, pp. 286-296.

humani generis benignissimum singulari modo atque  
 extraordinario per Christum, quem Doctorem no-  
 strum atque Servatorem divinum pie veneramus, in-  
 digentiæ nostræ & saluti prospexisse morali; in ea au-  
 tem solvenda vel nostro adhuc ævo dissentiunt quæ-  
 stione, utrum gratia hæc divina, quatenus moralem  
 hominis adjuvat & promovet emendationem, in pro-  
 mulgata semel doctrina Christi salutifera omnis subsi-  
 stat, vel utrum juxta eandem alia quoque, cum il-  
 la quamvis intime conjuncta, singulari tamen &  
 nobis impervia, in animis humanis agat ratione?  
 quarum utraque partium, in tanta scilicet dicta Scri-  
 pturæ Sacræ huc pertinentia explicandi varietate,  
 suam ex doctrina Christi & Apostolorum confirmare  
 adnixa est sententiam o).

C 2

fa.

o) Conferantur e. g. JUNCKHEIM von dem Uebernatürlichen in  
 den Gnadenwirkungen, & REINHARD l. c. 4 Band pp. 129  
 -314; cujus viri meritisimi hæc subjungere placet verba:  
 "Dass man Wirkungen der Gnade glauben, auch durch  
 dieselben gründlich gebesert werden kann, wenn man  
 sich gleich auf die Untersuchung, ob sie von der mo-  
 ralischen Kraft des göttl. Wortes verschieden sind, und  
 wie sie sich gegen die Freyheit unsers Wesens verhalten - - -  
 entweder gar nicht einlässt, oder doch ein andres Resultat  
 findet, als itzt von uns gefunden worden ist, dieß lässt  
 sich auf keine Weise läugnen. Der glückliche Erfolg der  
 Gnadenwirkungen hängt nemlich nicht von den Vorstellun-  
 gen, welche man sich von ihrer innern Beschaffenheit macht,  
 sondern von der Ueberzeugung, dass man auf sie rechnen

facillimam, quæ plurimarum sane in ecclesia sparfit  
 controversiarum femina, nobis, præsentis occupatis  
 negotio, propius examinandam non esse putavimus;  
 etenim utroque in persuasionis statu, rite adstructo,  
 firma manet practica illa & maxime necessaria veri-  
 tas, Deum morali nobiscum agere modo, vim nobis  
 minime inferente viriumque plenum non excluden-  
 te sed excitante exercitium *p*); nostram igitur esse  
 culpam si non convertamur, multas in emenda-  
 tione nostra perfringendas nobis esse difficultates,  
 multam animi subeundam esse curam atque diligen-  
 tiam, verbo, omni studio & intentione id agendum  
 ut salutem consequamur (cfr. Philipp. 2: 12). Quam  
 indefessam hominis operam cum innumeris fere lo-  
 cis (quibus non repugnant Joh. 6: 44. 12: 32. 15: 5.  
 e. q. r.) Servator itidem postulet, vires utique &  
 facultates ad bonum ducentes, animis inesse docet  
 humanis. Cum autem doctrinam suam moralem scien-  
 tifica Christus non proposuerit methodo, sed variis in  
 vita sua occurrentibus diligenter usus instituendi oc-  
 casionibus, salutarem populariter & ad emendatio-  
 nem accommodatius explicaverit notitiam, quid  
 divina ipsius ex auctoritate ad virtutem cœlitus  
 præceptam homo conferat, ex ipsa quam docuit  
 vir-

---

*dürfe, und von der Folgsamkeit ab, die man gegen sie be-  
 weist?" p. 291 f. Cfr. SPALDING Gedanken über den Werth  
 der Gefühle in dem Christenthum, pp. 28-30.*

*p*) Cfr. REINHARD l. c. pp. 270-277.

virtutis indole, & iis quæ emendando cuiusvis observanda inculcavit officiis, sine dubio eruendum erit.

In exponenda igitur virtutis Christianæ origine, e doctrina sua cœlesti, & conjuncto cum illa divino auxilio, Christus, ut ipsa etiam rei fert natura, illam deducere solet. (Joh. 6: 63. 8: 31, 32. 15: 3-5. 17: 3, 17). Ut autem e scientiis quas alumnis suis percipiendas & in usum convertendas sapiens propinat juventutis Magister, facultates eorum & ingenii maturitatem jure auguramur, ita salutaris quam Christus patefecit Religio, quibus quantisque, rei morali proficuis, animus noster excellat viribus optime testatur. Hæc enim quam sublimem, supremo dignam Numine, pectoribus instillat Dei notitiam! quam celsa dictitat præcepta moralia! quam acutos in intima animi nostri adyta conjicere nos docet oculos! quam arctam cœlum inter atque terram constituit necessitudinem! Num Religionem quæ hæc spirat, entibus eam æstimando, adhibendo imparibus, ab ente omnium sapientissimo datam esse cogitandum sit? Moralis tota, nonne facultates morales in homine respicit quem alloquitur, instruit, commonet? Captui hominum vulgari diligenter accommodata, nonne hunc ideo induit habitum ut vel in animum agat vel pectus feriat? De nobis quidem omnibus, alma qui collustramur Revelationis luce, idem valet, quod Petro Messiam agnoscenti olim dicebat Christus: *σαρξ και αιμα εν απεκαλυψε σοι* (Matth. 16: 17), sed sincera illa, quam

quam eadem in Schola adhibebat Petrus ad rem attentione, pectore pariter ad coelestem admittendam ponderandamque veritatem libere appposito nobis etiam opus est. Hinc Jesus ad recipiendam doctrinam suam rationem postulat sobriam humanam, præjudiciis exutam occæcantibus (Matth. 11: 25. 18: 3), ad cujus etiam diligentem provocat usum (Matth. 13: 15, 19. Luc. 24: 25-27); hinc paratum quendam animi statum, proclivem doctrinæ suæ ad pectora viam munientem, in vere credituris requirit hominibus (Matth. 5: 3. Joh. 8: 47. 18: 37), ingenuumque tantum virtutis amorem, verum Religionis suæ percipere posse prædicat genium (Joh. 7: 17). Non itaque vi quadam animis obtruditur doctrina salutaris, neque ad pectora fingenda quidquam efficit, nisi interno illam excipiamus applausu & labore (Matth. 23: 37. Luc. 10: 13. 19: 44. Joh. 5: 37-40. 12: 37), nisi nobiliores quasvis ad illam intelligendam & approbandam candide adhibentes animi vires, sparsa virtutis semina, ipsius sota radiis, terræ committamus frugiferæ (Matth. 13: 3-8, 19-23. Joh. 12: 35, 36).

Si itaque efficiendam a Religione Christiana immutationem animi salutarem, conversionem dicunt, propius consideramus, hominem, quantumvis divino debeat auxilio, inertem in illa tamen non manere, sine multo patebit negotio *q*). Docet nempe Christus,

---

*q*) Ostendit hoc vel vis ipsa vocis τῆς μετανοίας, qua ad



stus, ut supra monuimus, non quidem sublatas aut omnino perditas, sed debilitatas, fractas atque distractas esse facultates illas animi pulcherrimas, quæ imaginem Dei in homine constituentes, ad attingendam nobis cum Auctore nostro nos efferre deberent similitudinem. Ex hoc corruptionis statu ad meliorem redeundum est sortem. Hæc autem ipsa effici non potest mutatio, nisi aut vi quadam superiori, & sublata quasi natura nostra pri-

---

hanc rem indicandam Christus utitur. Est enim μετανοειν (ut jam dudum observarunt Interpretes, & usus vocabuli docet biblicus) *aliter sentire, post sapere*; — mentem itaque, proposita, studia, & quidem vitam ipsam mutare significat: unde μετανοειν internam innuere consiliorum mutationem, non itaque vi extortam, sed ex libere expensis utrimque argumentis oriundam apparet. Facile cum hac notione conjunguntur quæ eodem fere sensu adhibentur dicendi formulæ: *σραφηναι* (Matth. 18: 3.), *μεταμελεσθαι* (Matth. 21: 29), *εις εαυτον ερχεσθαι* (Luc. 15: 17) e. q. r. quæ scilicet & ex etymologia & contextu locorum moralem consilia pristina novis permutandi actum significant. Neque gravem objicit difficultatem quod verum quodvis regni sui membrum *αναθεν γεννηθηναι* (Joh. 3: 3) dicit Servator. Quamvis enim tanta & tam ardua sit hæc hominis, inveterata cupiditatum atque errorum intemperie oblii, conversio moralis, ut nova jure dicatur generatio, & ad illam peragendam divino quæ Christianis offertur egeamus auxilio, ex variis tamen quæ in ipso Christi cum Nicodemo colloquio continentur momentis, & locis præsertim parallelis, sollicitam hominis ab ea non excludi operam facile colligitur.

pristina, emendatis ab Ente supremo instruamur vi-  
 ribus, aut oblatis quæ mentem agitent occasionibus,  
 & flagitante quæ vel in scelestissimo ignava non ma-  
 net conscientia, amisam vitii dignitatem nostram cum  
 dolore ipsi cogitemus, & ad novam sic vitam facul-  
 tatibus nostris paullatim reviviscentibus, jugum sensua-  
 litatis atque cupidinum serio ipsi excutere incipiamus  
 labore. Illud conversionis genus, quod quippe omne  
 virtutis humanæ pretium, omnemque imputationis  
 possibilitatem cum libertate nostra removeret, in mo-  
 rali quo versamur Dei regimine cogitari non posse  
 non est quod pluribus vindicemus. Hanc itaque,  
 moralem jure dixeris, mentis & consiliorum immu-  
 tationem urget Religio. Cum enim facultates no-  
 stræ morales, in præsentis sua conditione, vi plena &  
 incorrupta agere non possint, benignissimo placuit  
 Numini, ut in Religione per Christum patefacta, na-  
 tivam officiorum conscientiam resuscitando, nova eam  
 fanciret auctoritate, satiore porro in rebus spiritu-  
 alibus notitiam animo infunderet, efficacioribus ex  
 immensa sua gratia virtutis studium suffulciret motivis  
 ac præsiidiis, & spectabilem quasi sanctitatis, justitiæ &  
 misericordiæ suæ contemplandam nobis sisteret imagi-  
 nem. His jam, quibus undique circumsepimur, scientiæ,  
 doloris, solatii & probitatis auxiliis ad conver-  
 sionem nostram & emendationem pie uti nos jubet  
 Servator; subitanam vero & miraculosam adeo no-  
 bis non promittit opem, ut tale quid expectandum  
 non esse haud obscure indicaverit (Luc. 16: 29-31.  
 Cfr.

Cfr. Marc. 4: 26-29). — Sed quid multa? claram habemus Christi de filio perduto parabolam, (Luc. 15: 11-32) quæ naturam conversionis moralem optime dilucidat. Hic enim, consumpta peregre patria hereditate, & infautis sed meritis presus improbitatis consequentiis, ad se demum redit, calamitatem sentit, deplorat: recurrit patris offensi memoria: ingrati dolet, agnoscit mentem: affectionem vero animi recolens paterni, impietatem ingenue fassurus, cursu ad patrem tendit festinato. Quid igitur homo, conversionem animi admittens? Resipiscit, i. e. excitata beneficio Religionis conscientia quæ torpuit hætenus morali, inditorum animo præceptorum moralium, suæque iisdem obediendi obligationis videt sanctitatem atque ambitum: — oritur cum seria hacce legis & officii agnitione, infucata utriusque ad vitam applicatio, & dolor vitiositatis, miseria feracis, acerbissimus (cfr. Luc. 18: 13): — ut autem mors Christi innocentissima, conspectu legis & justitiæ divinæ mentem percellendo, conscientiam puniendo, luctum hunc moralem gravi auget momento, ita immensum quoque amoris divini beneficium, sic nos emendantis, sic sibi reconciliantis, offerendo, ad fidem in Christum plena arripiendam fiducia, lacerata invitat pectora. Hæc vero, quo pacto nos tranqvillat, nos justificat? Si commoto serio perversitatis sensu, & propendente in odium peccati animo, de calamitate nostra atque corruptione sincere dolentes, in conjunctionem cum Deo & virtute per Christum restitui expetamus (Luc.

7: 37-48. 23: 41, 42). — Est itaque emendatio nostra beneficium Dei per Christum nos corrigentis, sed non tamen sine actuoso naturæ nostræ moralis ad divinam gratiam habitu peragitur. Hinc etiam μετανοίαν nobis non pollicetur sed præcipit Christus: hinc fidem opus Deo gratum pronuntiat (Joh. 6: 29).

Non vero inertem quandam conversi animi in Deo requiem, aut ignavam auxilii divini ad bona opera expectationem docet Religio nostra, sed intensissimum assidue urget virtutis studium (Matth. 21: 43. 22: 34-40. Joh. 14: 15, 21, 23. 15: 10). Homo enim invitantibus, quas divina providentia vires suas collocandi illi exhibet, ubique cinctus occasionibus, & rationem vitæ suæ olim redditurus, has ad pretium morale sibi vindicandum sedulo ipse adhibeat (Matth. 25: 13-46. Luc. 19: 12-26). — Qualem vero Christus homini virtutem præscribit? Talem certe, quæ cum absoluta convenit virtutis idea, qualis Enti etiam perfectissimo approbatur (Matth. 5: 45, 48): talem, cujus verissimæ ex eo patent laudes, quod Patris sui, eam annuntiando, se in terra manifestasse gloriam Christus testatur (Joh. 17: 4): sed talem simul, quam concipere & factis probare naturæ tantum valent morali nomine eminentes. — Nostri quidem non est instituti principium illud quærere ultimum, quo doctrina Christi moralis tacite nitatur, (neque facile id opus esse, tot doctissimorum viro-  
rum

rum discrepantia ostendunt judicia): hoc tantum monere liceat, ne minimum quidem vel summo hujus ex pretio, vel ex morali virtutis Christianæ dignitate eo detrahi, quod fixum tale Christus discrete non constituit moralitatis principium: — id quippe, in systematica Ethices tractatione apprime necessarium, in populari quam Christus peragendam suscepit institutione, eo inprimis tempore, non sine gravi fieri potuit muneris incommodo. Et certe nihilominus tam sublimes sunt veritates quas explicavit practicæ, tam eximia vitæ & officiorum quæ indidit principia, ut nil, quod his non contineatur, addere possit Philosophia morum vel consummatissima. Qui enim ex interna animi affectione moralitatis humanæ metitur præstantiam (Marc. 12: 41-44), qui desideriis atque cogitationibus haud levius quam factis peccari ostendit (Matth. 5: 28), qui contentione mentis integerrima Deo, non Punitori, non Vindici, quem servili timemus metu, sed sanctitatis omnis atque bonitatis Auctori & Principi, quem filiali amplectimur amoris affectu, parere nos jubet (Matth. 22: 37. Marc. 12: 30), qui de possibilitate virtutis humanæ parum adeo dubitat, ut Ens perfectissimum morale, (Matth. 5: 45, 48. Luc. 6: 36) & sensibile ejus, manifestatum terris, exemplar (Matth. 11: 29. 20: 26-28. Job. 13: 34. 15: 10, 12, 13.) imitandum hominibus sistat, qui demum morale hominis, sensibus atque studiis, cum Deo loquitur commercium (Joh. 17: 20 sqq.): is sane virtutem docet puram,

— is fane hominem ejus capacem prædicat, & auctorem actionum suarum facit moralem.

Sed vero præmia virtutis haud raro commemorat Religio Christiana: — num igitur felicitatis principio illam superstruendo, pretium hominis diffitetur morale? Solitæ huic objectioni absqve multa, nostro ex judicio, occurritur opera. Quamvis enim spe felicitatis reportandæ ad stabiliendum recti studium frequens utatur Christus, illam tamen pro fine virtutis ultimo habendam non esse tam indicat quam jubet. Virtutem propter præstantiam suam internam, sanctissimamqve Dei voluntatem, rationi probatam, appetendam & exercendam esse ubiqve docet; in perfectissimo autem Dei principatu & imperio, ubi virtus non tantum supremum occupat honoris locum, sed suis etjam carere non potest effectibus, felicitatem ut necessariam sistit virtutis consequentiam, quam quidem optare licet, sed ita tamen, ut probitatem, quæ ipsa finem voluntatis constituit ultimum, non ut medium sed per se expetendam, primo quæramus loco (Matth. 6: 33). Ceterum, cum officia quæ imperat tam ardua sensualibus sint hominibus, tam aperte animum a terrestribus magni faciendis revocent gaudiis, (cfr. e. gr. Matth. 5: 29, 30 & 6: 19) ut ipsum quod docet virtutis studium continuam cum molestiis atqve difficultatibus pugnam præfagiat (Matth. 7: 14. Luc. 13: 24); illam hominibus imprimis sperandam proponit felicitatem, quæ ex ipsa virtutis

tutis necessario sequitur natura, cujusque verum sine sincero probitatis amore ne existere quidem potest desiderium (Matth. 5: 3-12, 45. 6: 20. Luc. 6: 35. 14: 14). — Tantum itaque abest ut spe hacce felicitatis admittenda de viribus hominum moralibus desperet Religio Christiana, ut potius novum sic & maxime morale ad virtutem genuinam sensim atque libere pertingendi adjumentum iis largiatur.

Quamvis itaque imperfectionem generis nostri moralem infitiri non deceat, videamus tamen ne ex perverso Divinam gratiam celebrandi ardore, aut præoccupatis in re gravissima judiciis, humanam nimis imminuentes dignitatem, naturam nostram contemtu vertamus: quæ ratio non tantum veræ Doctrinæ salutaris contraria est sententiæ, sed Deo etiam, in mundo morali ex mechanicis non agente rationibus, indigna, nobis in persequendo virtutis studio facile noxia, & injusti multorum in Religionem odii principium. Quod si Christus, ut paucis supra ostendere conati sumus, corruptelam humanam imbecillitati nostræ sensuali, & ortis inde quæ rationem offuscant errorum nebulis, sensuumque, libertatem distinentium, vehementiæ (communi quidem omnibus, at essentiam tamen naturæ nostræ non constituenti), indubio suo tribuens testimonio, miseriam hanc moralem ex innata quadam virium humanarum non deducat ruina: si tali porro, divina sua sapientia,  
ad

ad nobis opitulandum utatur auxilio, quod vanum sane esset, ni modo morali & ad libertatem nostram accommodato nos corrigat & virtuti restituat: si denique, ut ad gratiam attenti, illam usui nostro diligenter ipsi adhibeamus serio nos commoneat; certe naturam nostram moralitati aptam, & iis pollentem docet facultatibus, quæ, etsi a prima sua declinaverint innocentia, admota tamen doctrina salutari, impedimenta scientiæ & virtutis debellandi opportunitatem cœlitus impertiente, ad Christianam sentiendi & vivendi rationem pedetentim & servata libertate nostra nos evehere possunt. Neque vero ex altera parte arroganti eorum adhærendum est consuetudini, qui suis temere confidentes viribus, gravem periculorum, titubanti imminentium virtuti humanæ, non vident molem. Nos autem divina freti Providentiæ cura, quam, sanctissima Christi adorantes vestigia, sinceris nostris sub conatibus absque culpa seignitiei sperare possumus, intento arduæ virtutis viæ insistamus labore; nostra dum facimus, cetera læti Deo committentes. Etenim παν (κλημα) το καρπον Φερων, καθαιρει αυτο, ινα πλειονα καρπον Φερη (Joh. 15: 2).